

ORDO

QUO CHRISTIANAE DOCTRINAE CAPITA IN TERTIO
CATECHISMO PRO ADULTIS DISPOSITA SUNT

Caput I erit *De signo Sanctae Crucis*, quod est veluti tessera quaedam hominis christiani.

Caput II, *De divina revelatione*, est quasi aditus et ianua catechismi, quia per id caput docemur quibus modis Deum resque aeternas cognoscere possimus.

Quoniam vero ad animae salutem consequendam – quod quidem est *unum necessarium*, utpote hominis finis ultimus – in primis oportet *credere*, ideo Caput III erit *De symbolo Apostolorum*, in quo fidei veritates praecipue continentur.

Et quia ad *fidem* adiungenda sunt *opera*, idcirco Caput IV erit *De decalogo*, Caput V *De praeceptis Ecclesiae*, Caput VI *De consiliis evangelicis*.

Cum autem ad ea omnia efficienda quae in sex superioribus capitibus dicta sunt, opus omnino sit divina gratia, ideo Caput VII erit *De gratia*.

Quam quidem gratiam adipisci potissimum oratione et Sacramentis possumus; itaque Caput VIII erit *De oratione*, et Caput IX *De Sacramentis*.

Quoniam autem in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum consequimur et virtutes infusas et dona Spiritus Sancti, unde manant evangelicae beatitudines et fructus Spiritus Sancti, Caput X erit *De virtutibus theologicis, de virtutibus moralibus, de donis Spiritus Sancti, de evangelicis beatitudinibus ac Spiritus Sancti fructibus*.

Sed possumus, gratiae semper affatim a Deo nobis praebitae refragando, eius legem voluntarie violare, peccatumque committere, ac propterea Caput XI erit *De peccatis*.

Denique, cum ad vitanda peccata plurimum valeat, quod ipsae divinae Litterae suadent, Novissima meditari, Caput XII erit *De Novissimis*.

